

IO. GOTTL. HEINECCI IC.

AD

LEGEM IVLIAM

ET

PAPIAM POPPAEAM

COMMENTARIUS,

QVO MVLTA IVRIS AVCTORVMQUE
VETERVM LOCA EXPLICANTVR,
VINDICANTVR, EMENDANTVR.
ATQVE ILLVSTRANTVR.



AMSTELÆDAMI,

Apud R. & G. WETSTENIOS.

M. D. CCXXVI.

1755



NOBILISSIMO AMPLISSIMO QVE
VIRO
CORN. VAN BYNKERSHOEK.

IC. SVMMO,

ET SVPREMAE HOLLANDORVM, ZEE-
LANDORVM ET OCCIDENTALIVM
FRISIORVM CVRIAЕ, QVAE HAGAE
COMITVM EST, PRAESIDI
GRAVISSIMO,

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIVS.



X quo præclara illa, quæ publice exstant,
ingenii TVI monimenta diurna nocturna-
que manu verfare coepi, PRAESES AM-
PLISSIME, tanta illico nominis TVI venera-
tio intimo pectori meo inhæsit, vt eiusnullam
vnquam accessionem fieri posse existimarem. At quum
nuper nihil tale cogitanti ea mihi obtingeret felicitas,
vt suauissimo congressu TVO Amstelædami apud com-
munem amicum frui, illudque os venerandum, quo ci-
uibus oracula quotidie fundis, illud admirabile inge-
nium, ex quo tantas doctrinæ opes depromis, denique
candidum illud & ab omni arrogantia alienissimum pe-
ctus coram intueri liceret: ad summam, qua TE antea
prosequutus fueram, venerationem tantus, mihi crede,
cumulus accessit, vt iam demum amare videar, antea
dilexisse. Et sane quum mihi iurisprudentia, non illa

AD LEGEM IVLIAM
ET PAPIAM POPPÆAM
COMMENTARIUS.

L I B E R I.

DE LEGIS IVLIAE ET PAPIAE
HISTORIA.

C A P U T I.

DE VARIIS LEGIBUS PAPIIS, A PAPIA
POPPÆA DISCERNENDIS.

Instituti ratio. **I.** Lex **PAPIA** de virginibus *Vestalibus*. Mos capiendi virgines antiquissimus. Capiebantur initio a regibus, deinde a pontificibus max. Quid noui inuenitum sit lege Papia? Olim virgines *Vestales* e solis patriciis puellis lectæ, post legem Papiam etiam e plebeiis. An *Vestale* sacerdotium semper manserit in possessione patriciarum? Paullus Merula notatus. Virginum electio & sortitio a Papio inuenta. An ejus lex sit pars Papiæ Poppææ? Paulli Merulæ, Jac. Gothofredi & Jani Vinc. Grauinæ sententia